...us

... et Pomeraniae

Podgurski Samuelis Joan. Panegyricus Celsissimo nomini et amplissimo honori Stanisl. Szembek consecratus.

PANEGYRICUS
CELSISSIMO NOMINI,
&
AMPLISSIMO HONORI,
ILLUSTRISSIMI
& REVERENDISSIMI DOMINI,
D. STANISLAI
à SŁUPOW
SZEMBEK,
DEI, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Gratiâ,
EPISCOPI VLADISLAVIEN-
SIS, & POMERANIÆ,
Inter Festiva tripudiantis Poloniæ,
& Votiva gratulantis CUJAVIÆ acroamata,
Circa Solennem & Auspicatissimum
Cathedræ Vladislaviensis
INGRESSUM,
Officioso Cultu,
Nomine Academiæ Cracoviensis,
A
M. SAMUELE JOANNE PODGURSKI,
Philosophiæ Doctore & Professore, Collega Minore, in Ecclesia Archipresbyterali B. MARIÆ V. in Circulo Cracoviensi, Pœnitentiario Radyminsciano, S. R. M. Secretario,
CONSECRATUS.
Anno Iubilei Magni 1700. Die 10. Octobr.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

In Gentilitium Insigne, Illustrissimi & Reverendissimi PRÆSVLIS.



I.

Eminet in Lechico, Ternus, Flos, Orbe, Rosarum
SZEMBECIVS, geminis, cingitur atq; Capris.
Cur sic? vt vigeat tutò, niteatq; perennè;
Cornibus erectis, Bina Capella tegit.

II.

Quantas delicias, Ovibus dabis, optime Pastor!
Si Capras Roseus, sic alit, iste cibus.

PANEGYRICUS.

SOlenne eſt, & dudum ſanctis, per centuriata ſapientum comitia, ſanctionibus firmatum; JLLUSTRISSIME, & REVERENDISSIME DOMINE; Vt Magnos in Republica Viros, quos, beatum Superûm germen, Heroum aſſiſtrix virtus, hereditario Illuſtrium Aborigenum traducta cenſu, ſummarum Majeſtatum propitius favor, & Nobilium turba Quiritium, pro immortalibus meritis, in templo præcelſi collocant Honoris; eos miniſtræ immortalitatis Muſæ, cum perennibus elogiorum faſtis, ad augendam Sacræ ac triumphalis pompæ magnificentiam, omni ex parte comitentur. Equidem bene ac ſapienter & gemmeô ipſius Jovis calculô, decorô venuſta ſeniô, quia ævo coæva, Mater Pieridum Mnemoſyne, Patribus Patriæ Tullijs, ſtantibus aureo in eſſedò Æmilianis, mitiſſimis contra ſuum nomen Severis, delitijs humani generis Titis, publicum os populi promerentibus, & brachijs

planè gentium in Capitolium portatis Tráianis, pulcherrimum plaudentis Suadæ, ac totius Parnaſſi, adiunxit comitatum.

Nihil quippe dignius juſtiuſve, ij mortáles, apud quos Phœbus non hoſpitem egit, cenſuêre; quàm vt his Civibus, quorum eximia pietate, conſilijs penè divinis, limatiſſimâ prudentiâ, ſapientiâ, & Herculeo labore, cultus Divorum Indigetum auctus, templa, aræ, pulvinaria, inſtaurata & exornata, auguſta Regni ſuffulta Majeſtas, conſervata Regum & populi ſalus, defenſa integritas, reſtituta felicitas, firmatæ ſacræ profanæq́; leges, res vniverſæ, domi foriſq́; ſartæ ac tectæ ſunt; erudita in plauſum & triumphum aſſurgant Numina: quorum æterna functio eſt, cùm diſerto Platonis ore, tum præpetis miniſtrâ famæ pennâ, præclara Heroum facinora, ab ingluvie rerum phagonis, & fatorum rapinis vindicata, ſuperûm actis inſerere. Alioquin enim publico virtutum ſplendori, quiſpiam Bavius Mæviuſve nefario auſu injuriam inferret, qui ad minima ſuæ probitatis phenomæna, & fatuos philautiæ ignes Argus, ad meridiem verò alienorum meritorum Oedypodes, illum vel Cortinâ livioris, vel densâ ſilentij caligine obfuſcaret. Quanquam verò

fulgur illud & fulgor, bonarum mentium virtus, inter opaca invidentium nubila, Solem imitatur; quem nunquam ita inimica nubes texit; quin, cùm nequiret orbi dare radios, non posset diem: ignem æmulatur, qui vel maximè tectus, proditur luce sua: attamen hoc beneficum sidus, augustius spargit jubar; cùm in auge honoris & amoris publici versatur.

Porro ne rem sub ænigmate loqui, aut Cyrrham solicitare videar; Præsuleus ac Senatorius Honor Tuus; JLLUSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE, Cuius augustam ædem purpureó, quia ROSEO Virtutum & Sapientiæ ascensu, per januam ingentium meritorum triumphalem, auspicibus Divis ingrederis, totum Academum Cracium, arcano obsequij pellicit magnetismo, vt Te peculiaribus uotis, exuberantibus tripudiorum affectibus, in hoc theatro gloriæ circumambire gestiat. Cùm enim Sacro hoc Indulgentiarum tempore, gratiarum natali, feracior gaudiorum Autumnus, vberrimos Tibi ex Gentilitijs Floribus, tantæ Celsitudinis attulerit fructus; quidni ijsdem abunde recreata Pallas nostra, Coronam anni benignitatis, in festo Honoris Tui celebret? Provolat ad solennes triumphos, illecta Cœlestibus RO-

 SARVM

SARUM Tuarum ſuavijs, quarum immarceſcibilem vigorem, non vulgarem genium, perennem eximij decoris purpuram, admirandas virtutes, ſupra Græculas, Mileſias, Præneſtinas, Pæſtanaſq; admirata & venerata, hodie per ampliores gratiarum influxus animatas, quaſi novo prodigio ad autumnales Ferias refloreſcere, ijſdemq; Aras Vladiſlavienſes auſpicatò coronari medullitùs congaudet. Et certè geminata paulò antè, duplicis Honoris Tiarati præludia, in quibus novam Pontificiæ perfectionis Palæſtram exhibueras, alijs metæ fuiſſent triumphales, & Herculeæ Columnæ; excelſo animo Tuo, & ad maxima quæq; pro Reipublicæ Chriſtianæ integritate, gerenda, nato, ac heroicis virtutibus divinitùs imbuto, vti anguſtiora hæc fuêre Olympia; ita auguſtius, ſuprema omnium moderatrix Providentia, bravium reſervavit.

Debuit nempe longiùs latiùſve, tantæ virtutis odor diffundi; vt languidiores animæ, in quibus cæleſtis diminutus eſt vigor, illo recreatæ, per ſalebroſum vitæ ſtadium, velocioribus decurrerent paſſibus, & ſic in ſupernis Elyſijs, optatam demererentur ſtationem. Unde fortunatū Vladiſlavienſe Ovile, quod, poſt GODZIEMBIAM Arborem, ſub cuius vmbra in tanto malorum æſtu, tutò hactenus

quievit

quievit, novum decus & præſidium, in Tuis ò Præſul nanciſcitur ROSIS. Non marcidam ipſius eſſe lætitiam, geminata oſtentant gaudiorum documenta, dum poſt triumphales PINI DAMBSCIANÆ ramos, nexis ex Regina florum, more feſtivæ antiquitatis, ſuos poſtes adornat Coronis. Felices oviculæ, felices! quia tuti ſub Matribus agni, ampliùs mæſtitiæ balatum non exercebitis; vt-pote non profano gramine, ſed ſuaveolentibus paſti Roſetis. Si enim ſuam hîc invenêre Hyblam, illiuſq; nutritæ delitijs, Oleniâ feliciores, Gentilitiæ CAPELLÆ, inter Cæleſtia ſigna abire conſveverint; quidni novo gratiarum Hymetto, altum Fidelium Gregem, vigilantiſſimus Paſtor, ad beatæ æternitatis Tempe traducere contenderit?

Et hæc quidem ex Tuo Honore Præſuleo ac Senatorio, publicæ felicitatis & exultationis auctoramenta, è voto & decreto Senatûs populiq; Academici, pro viribus celebrandi, pulcherrimum ſanè, arduum proinde demandatum mihi munus, PRÆSUL JLLUSTRISSIME, dum magis alacri, quàm ſufficienti obſequio, ad auſpicata ingreſsûs Tui, in Cathedram Solemnia, orbi declarare aggrediar, hoc à Celſitudine Tua ratum gratumq;

esse postulo, vt si amplissimam hanc provinciam pro Majestate ipsius, conscius meæ imbecillitatis, vt fas est, gerere non potero, nominis præcelsi, virtutum & meritorum Tuorum magnitudini id ipsum velis imputare. Hoc nempe habent viri Principes, magnificum & ingens, nulla quod rapit dies, vt tum maximum culmen gloriæ attingant, cùm ex asse laudari nequeant. Parvis igitur Numen Tuum, nomine Iagellonicarum Musarum, quas almo favoris & patrocinij complecteris sinu, placare contendo victimis, cui non sufficit Hecatombe; tibiâ Clientalis voti præcino, quia tubâ non possum. Si displicuerit humilioris suadæ ingenium, placeat obsequium: vt pote quia magnis animis sæpiùs exilia placuêre.

Amplitudinem Panegyrici operis, impari conatu & ingenio exordiri volenti, ingens cura laborq; novum quoddam Herculis Bivium obtendunt; quid primò in Te Maioribusq; Tuis, si non percensere orando, saltem attingere mirando expediat? Quippe dum publico eruditorum calculo, ij duntaxat mortales, magnitudine gestorum, & immortalitate nominis fastis Heroũ adscribi merentur; qui belli pacisq; momenta librare nôrunt,

qui vel

qui vel in Toga efficacibus cosiliorum oraculis, servare Ciues, iustitiæ Asyla fieri, legum monimenta tueri; vel in Sago fulmina belli Scipiadas, contra immanem Hostium colluviem, adversis opponendo pectora rebus, se se præstare consveverunt; meritò & ipsa nutaret Pallas, quibusnam horum, dignas texere panegyres, cui primas deferre deberet coronas. Neque enim soli Athenienses, perpetuis Sapientiæ studijs occupati, inter erudita otia, Musarum delubra, Phæbiq; templa colentes, in Areopágis, Pritaneisq; suis, velut in aliquo Deorum consessu, aurea edicta ferentes, pacis artes ac ornamenta promoventes, magnarum mentium præmium, gloriam promeruêre: Verùm Romani quoq;, invicta Gradivi soboles, homines chalybei, quibus totus Orbis, Athletica bellicæ virtutis, & amphitheatrum gloriæ extitit; dum nullis terrâ mariq; laboribus fracti, auspice vbiq; Victoria, gentes immanitate barbaras, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, adoriuntur, terrent, vincunt, subjugant, ac vinctos post terga Tyrannos, magnificis in Capitolium, deducunt triumphis, generis humani conscientiâ, Jove digni renuntiantur. Fuit sua gloria Lentulis, & Cunctatoribus Fabijs,

qui in bellis gerendis, Consum Marti prætulêre, quibus prudens & rationabilis cunctatio, potior inconsulto impetu, maturiores protulit Laureas; sed non impar cessit adorea, rumpenti moras Cæsari, & ante annos, imperatoriam gestanti clavam Scipioni.

Et certè, felices populos, apud quos eadem Pallas negotia bellorum & studia pacis moderatur: vbi quidquid respondet Apollo, exequitur Mavors. Extremè enim mala sunt, si vel Græco cultui nimiùm indulgentes Adriani, propter pacis Studium, etiam partas majorum sanguine Provincias dimittant; vel quod sequius est, Asiatica mollitie & Sybaritico luxu emasculati Heliogabali, ac indomitis passionibus Domitiani, inter continua delitescentes otia, inopes consilij, manu invalidi, ac ad motæ arundinis vmbram trepidantes, victoriarum tamen atq; triumphorum magnalia, quasi Orbem difflare docti, inter opiparas cœnas, gulæq; irritamenta buccinantes, in theatro bellatores, spectatores in campo, hostes muscis, hostibus muscæ fiant: aut ex adverso, quasi Busiride nati Manlij, ferro suo duriores, æquali feritate hostes & filios dilanient. Appage barbaricâ znienâ infames Hannibales, quos Eumenidum furor ad injusti belli permo-

vet tumul-

vet tumultus, quibus magnificum spectaculum est, stagnantes tabo mortalium campos, & innocui sæpè cruoris spectare cataclysmos! qui stare aliter nequeunt, nisi gentium ruinis, qui crudelibus novercantis fortunæ delitijs, vsq; ad insaniam gestiunt, qui populorum rapinis, insatiabilem Orexin, non explent, sed irritant. Nempe hujusmodi bellatores, novam in pectore Hyrcaniam circumferentes, bellum à belluis derivari, necessum esse, autumant; cùm infrunitâ rabie, affectibus belluinis, & mala cupidine cæci, omnem humanitatem exuentes, nullo honesti colore, aut defendendæ Patriæ prætextu, nullo justitiæ æquitatisq; discrimine, suô plerumq; malô, & tragicô exitiô, cruentum Martis negotium instaurant; atq; sic neq; se, neq; alios, dulcissimâ vitæ vsurâ in pace frui patiuntur.

Felicius profecto genus humanum fore, si inter hæc extrema, medium aliquod inveniret: tale verò saniorum Politicorum dogma suggerit; Imperia, Regna, Respublicas, vrgentibus fatis, obluctari posse, si temperamentum quoddam ad pondus, inter belli, literarumq; studia adinventum fuerit. Si non plures Helicones, quàm Æmos, armatis suo more, numinibus, Apollini & Marti, publico Legum sancito, summa Potestas destinaverit: si vtraq;

in Palæſtra idonei Magiſtri, honeſtæ æmulationis, non livoris ergò, ludos huiuſmodi ſolennes, magno Reipublicæ emolumento fideliter & exactè celebraverint. Si Phœbea & Martialis Laurea ſimul nexæ, Heroes ornaverint, ſi deniq; ferri & ingeniorũ acies, non ſe mutuis puncturis lancinent, ſed publicum bonum tueantur. Hæc omnia priſcâ ætate, feliciſſimo juncta fuiſſe connubio, Hiſtorica memorat fides; eoq; intuitu, ſanctiùs olim bella geri, quàm hodie amicitias coli, non ſine juſto cordolio, evulgat Iuſtinus.

Porro rara hæc, cruento, quod vivimus, an violenter trahimus, ævo, munia, corvoq; ſimillimum albo, manſuetiorum Camænarum & Gradivi nexum, in Jlluſtriſſima Tua Proſapia ô PRÆSUL, non vno ſeculo perennare, extra paradoxum eſt. Præcelſa Domus SZEMBECIA, Romano auguſtius Pantheon eſt; in quo cùm divini Heroum vultus, virtute Pharraſium & Policletum agente, nobili meritorum cælaturâ ſculpti, & ad vivum expreſſi viſuntur; tum principe loco, Pallas cum Marte, olim diſcordi quâdam concordiâ, nunc, æternô vinculô, dextras ſibi porrigunt triumphales. Palæſtra fortitudinis ac eruditionis eſt; in qua invictiſſimi, vtrumq; per ſtadium Athletæ, ad bravium honorum decurrentes, cala-

mis &

mis & gladijs, ferrô & librô, robore & consilio, immortalitatem Nominis, aras & focos propugnant. Jlle belli paciſq;, moderator felicissimus, innumeris animorum & armorum victorijs ac triumphis, nunquam ſatis celebrandus, Princeps; qui ſolus depulsa barbarie, fundatiſq; in Orbe Christiano ſumptu magnifico Lyceis, ac literatorum Collegijs, Alcides audit Gallicanus, Orbiſq; inculti, & agreſtium populorum Reformator, CAROLUS inquam Magnus, Imperatorum apex & Corona, vidit & baſilicô probavit calculô, in Alemania, SZEMBECIOS Herôès, ſemper vires cum mente geſſiſſe, dextramq; Illis & rationem ſimul, ad comparandas ex hoſtibus victorias, ad gloriosam laurearum meſſem, ex æquo pares, conveniſſe.

Quippe ab eodem Auguſto, præcelſi ſanguinis SZEMBECIJ Proauctor, GERLACUS à Schembegk, inter Saxonicas Laureas, primus Aquiſgrani ROSAS, quas proprij Sanguinis murice tinxit, in teſſeram Nobilitatis ſortitus, plurimis Equitum, Privilegijs, gratijs, favoribus, auctus cumulatuſq;, felicem Roſeti ſui plantationem, vſq; ad HENRICUM VII. provexit. Et certè, grandem hîc per quinq; ſeculorum Myriades texere liceret, in ſuccreſcẽtibus benemeritæ poſteritatis Surculis Chro-

nologiam, nisi vox Maiestatis, pro me perorans, Cognominem suum HENRICUM SZEMBEK, Præclari Sanguinis & virtutis Heredem, Prædecessoribus suis, Atavis, Proavis, Avis cum sua Posteritate titulo & armis, ac militaribus ornamentis * ex longo insignitum, ac de speciali munificentia Augustissimorum Imperatorum Romanorum, annos ante quingentos, dotatum, & potissimum contra Ruprechtum Regem Apuliæ, pro amplitudine Imperij coronandoq; electo Cæsare, ad Vrbem Orbis Principem, decertantem, publico diplomate enuntians, vastam hanc Iliadem, nucleo conclusisset. Hic certè bellator & Galeatorum Præfectus, in expeditione Gallica, negotijs Bellonæ nulli æquiparandus, Sanguinem & vitam, Cælo, pro Patria, quæ omnium charitates complexa est, litare, inter prima vota reposuit. Nulla eum tacebit ætas, sed buccinabit testis veritatis Historia, Heroici animi documenta, ad Cressiacum, publico invictæ fortitudinis exemplo, demonstrata.

Occubuit ille, sive hostilis violentiæ impetu, sive triumphalium Laurearum ac trophæorum pondere onustus, vt culmen Romani Imperij altiùs surrexisset. Felicius tamen bustum istius Herculis, ex quo novus ad bella

* *Henricus VII. Romanorum Imper: in Diplom: VIII. Calend: Febru: A. D. 1313*

& victo-

& victorias, excitatus est Phænicensis FRIDERICUS SZEMBEK: cui virtus & fortuna, concentratis Principum favoribus, tantùm fecêre applausum, vt CAROLUS IV. Romanorum Augustus, justissimus meritorum æstimator, amplioribus ex publico thesauro stipendijs, Heroicos ipsius labores coronaret. Optimi nempe Principis, magnificum existimavit esse munus, liberalissimus Imperator, aureos Viros, aureis cum Augusto detinere catenis. Atq; hîc mihi ingentem principalis munificentiæ, & gloriæ immortalis, aquæductum, in SZEMBECIAS ROSAS longè, lateq; desuper effusum, ac subinde novo dexteritatis vigore, meritorum incrementis, honorum auctoramentis, excrescentem, per varias Europæ Provincias, illarum amplitudinem, periodicis, licet marcentis in tanto splendore, eloquij, cancellis, comprehendere cogitanti, illud planè evenit, quod Cosmographis, vastissimos Cælorum Terrarumq; ambitus, Orbemq; vniversum, brevibus lineamentis, in exili tabula ostentantibus, solenne est. Nempe inclyta SZEMBECIORUM Progenies, longo censita Sanguine, quoddam compendium virtutis, & Avitæ excellentiæ, exhibuit in PETRO: quen cùm Sanctissimum generis humani bonum, fides, erga Principes, illibato candore servata,

 tum

tum ſalus, integritas, & vita Auguſtiſſimi olim MAXIMILIANI I. Imperatoris Romanorum, à præſentiſſimo ingruentis fati periculo defenſa, poſteris ſæculis commendant. Solennes hic Cæſar, in Comitatu Tirolenſi venationis damarum & Ibicum, celebraverat ludos; aſt seriũ, inſolentes vitæ humanæ ſocij caſus, ſummis Nominibus ſæpius infeſti, obtrudentes negotium, funeſtam Libitinæ prædam parabant; niſi eis ſe velut Marpeſiam cautem, cautiſſimus & fortiſſimus Heros PETRUS oppoſuiſſet. Auctum tunc Gentilitium Inſigne additis ad ROSAS CAPELLIS, ampliata, novis in eodẽ Comitatu fortunis, æſtimatiſſimi Viri prudentia, dexteritas, fides, & amor, laudata oraculis Majeſtatis, & cumulata ampliore proventu merita, ad magna honorum culmina etiam inclytum Filiorum quaternionem, PETRUM, HENRICUM, EDVARDUM, & BARTHOLOMÆUM, Principum ſemper annuente favore, promoviſſent; niſi hi pulcherrimi ROSARUM Surculi, in alias terras tranſplantati, fragrantiſſimum famæ odorem, elegantiſſimam Aviti Sanguinis purpuram, & virtutes à ſummis quibuſq; viris æſtimandas diffundere maluiſſent. Porro, cùm tenuerit HENRICUM Tirolis; PETRVM pellexerit Pruſſia; EDVARDO, & BARTHOLOMEO arriſerit Marchia; fe-

licior extitit Polonia, quæ ſub Sereniſſimo SI-GISMUNDO AUGUSTO I. incomparabilis prudentiæ & clementiæ Monarcha, cum ampliſſimo Avitæ gloriæ, & Martialiũ meritorum cenſu, non tantùm Nominis, ſed virtutis quoq; heredem BARTHOLOMÆUM SZEMBEK, ſuperioris Filium, ad peculiarem etiam vicinorum Principum, maximè verò Illuſtriſſimorũ ALBERTI, & FRIDERICI, Marchionum Brandeburgenſium, ac in Pruſſia, Stetini, Pomeraniæq; Ducum, commendationem, inter Indigenas Regni, Sarmaticoſq; Bellerophontes, cooptavit. Sic Laureatis Sarmatiæ campis, implantatæ ROSÆ, feliciùs per NICOLAVM, STANISLAUM, & IOANNEM, impenſis pro Republica laboribus propagatæ, Regibus, & Proceribus, in delicias abiêre. Innatum quidem illis eſt, inter laureas & palmas creviſſe triumphales; cæterùm fæcundius Polonæ Libertatis Solum, in quo non dentata Cadmi ſementis, ſed Civicis, Muralibus, Obſidionalibus, Caſtrẽſibus ornati Coronis, concordes animis naſcuntur Heroes, qui plures Thebas, centum triumphalibus portis magnificas, aut condunt, aut tuentur; Ipſarum indoli & genio arrisêre. Fuerint enim alibi indulgentiores ſoles, quorum ſæpè immoderatis influentijs, ſublimiores Cedri, in immenſum

crefcentes, minoribus arbuftis, foliorum âmplitudine, & nimiâ proceritate, importunam vmbram facientes, lucem auferunt; vel avaris radicibus, totum honorum fuccum abfumunt; in triumphalibus Poloniæ aruis, quæ dudum aurea Libertas, paritatis culturâ, vfq; ad invidiam gentium excoluit, ita vniufcuiufq; virtuti crefcere conceffum eft; vt æqualitatis menfuram, nulla potentia, nullus livor valeat impedire.

Hìc jam affurgimus Nomini Tuo, ô Augufta Heroum Mater Polonia! non verborum & calamiftratæ loquacitatis apparatu, fed novâ quâdam incredibilis gaudij eloquentiâ, & affectuum exultantium copiâ, novum Tibi decus, & tutamen ex SZEMBECIJS ROSIS gratulantes. Habent quoq; & Illæ, cum nativo dibapho, quem non femel hoftilis purpuravit cruor, denfum aculeorum fatellitium; quod non tantùm rapaces hoftium manus, faucefq; infatiabiles, ad internecionem vulneret; fed etiam contra centimanos, huiufmodi fpicula, vibret Briareos. Certè enim inter hæc amænisſima nati Rofaria SZEMBECII Heroes, HIERONYMVS, & ALEXANDER, non delicatulos Smyndirides, verùm invictisſimos fe præftiterunt Scipiones. Semel duntaxat rofis coronatus cum fua Legione Capito-

lium

lium est ingressus Æmilianus, & pro vna victoria, Reginam Florum, suæ fortitudininis tesseram, in clypeis prætulit: at ista duo fulmina belli, Sarmatici Scipiadæ, in Moldavicis, Moschoviticis, Sudermanicis expeditionibus, invicti Bellatores, vti plures Carthagines & Numantias nacti, ita etiam plura trophæa & insignia suæ dexteritatis, meruêre. Si Herocles, velut Deum quendam alterum, primumq; & maximum Parentem vocitabat Patriam; hi factô testati sunt: dum pro ipsius propugnandis, conservandis, ampliandisq; finibus, nullum finem bellicis laboribus posuerint: & inæstimabile bonum libertatē, Sparthano more, non mænibus, sed manibus & pectoribus tuerentur. Vidit hos geminos Tyndaridas Sāguine & animo fratres, novos in Polonia Nisum & Euryalū, pro Ilio Nostro, contra novos Danaos, inter armatas acies, vitæ sortisq; prodigos, velut sacro quodam amoris œstro percitos; vidit inquam & non semel victricibus ornavit Laureis, ille Sarmaticus Hector, Ductorum gloria, Magnus ZAMOYSCIUS: Hastæ ipsius triumphales, innumeris onustæ trophæis, etiam SZEMBECIORUM ROSAS in coronamentum sibi adscivere. Sudermanicorum Domitor Leonum CHOD-

KIEVIUS, tantùm gloriæ tribuit SZEMBECIÆ virtuti, quantùm invidiæ ipsius triumphis, Cymmerij Bubones.

Verùm dum super hanc præclaram gestorum seriem & SZEMBECIÆ fortitudinis gloriam, quôdam Sacro stupore defixus hæreo; me tacente, vocalis Famæ, heroicum quoddam idioma, audire mihi videor; quo invictum Hieronymi alloquitur animum: Te (inquit) per sacros obtestor Sarmatice Nise, Penates; ne fuliginosum magnorum Bellatorum Sarcophagum, Tarpeiô Saxô funestius Smolenscum, querulâ voce execreris, neve mæstissimis Nænijs æthera pulses; *Euryale infelix qua te Regione requiram.* Infelicem enim fratrem, pro felicitate Patriæ occumbentem, dicere piaculum est; qui Phœnicis more, in æstu Martiali, ex pulvere non indecoro in ævum interminabile renatus, ampliorem nactus est Provinciam. Quippe jam illud extra somnium Scipionis verum est; illis qui Patriam adiuverint, defenderint, auxerint, peculiarem in cælo locum assignari. Perenne negotium pro Republica gessit, perennitatis igitur participem, & quasi hactenus anhelô Spiritu, victoriam persequentem, boni Superi immortalitate donârunt. Non interpolata vllis temporum spa-

tijs,

tijs, Ipsius mihi heroica exstant facinora imò videre mihi videor, illustre spectaculū: Consistunt ex adverso armatæ acies, in perniciē mutuam; concurrunt equi equis, virisq; viri, fractæ concrepant sarissæ, vibrati sibilant enses, percussæ tinniunt galeæ, hinc adhortantium, inde gementium voces permiscentur. Perfluunt aut sudore, aut sanguine obstinatorum militum artus, cæsi & semineces belluarum protriti vestigijs, ne cadaverum quidem servant formas; Parricida gladius, huic caput demetit, illi manum aufert, illi scrutatur viscera: fremunt & reboant lethalibus flammis, novitia mortis instrumenta, funesta munera, missilis plumbi grandinem, mutuò sibi armati remittunt cunei. Ad tam diram Catastrophen, parvo animo Theagenes, etiam cum Hecates simulacro, tanquam ad Medusæum caput, præ timore in saxum riguissent: at Frater Tuus ALEXANDER, animi fortitudine, Macedonico non impar, inter hæc Bellonæ tonitrua, ruit intrepidus, cum sua centuria, centum palmis dignissimus & Laureis. Non diu secum deliberavit, cederene an cadere maluisset? quia gloriosa virtutis pertinacia, primam post æternum, publici boni curam, alto pectore complectens, ac lan-

guidiorem, ex mora amorem arguens, hanc vitalem mortem oppetere coëgit. Ne Patria supremis laboraret; laboribus bellicis immori elegit; optimè persuasus, sic amissam vitam non amitti, sed novâ quadam pactione, cum fatis constituta, in censum perennantis gloriæ locari. Est enim opulentum ex funere fænus Heroibus; qui privatorum incurij, & eorum, quæ propriam cuticulam saginant, omnino negligentes, inter dura & aspera, publici obsequij incommoda, vt potè more apum, in commune geniti; omnes conatuum suorum vires elocant, vt impendijs virtutum ingentia immortalitatis compendia, laudabili sanè quæstu, licitentur. Ad occiduum igitur vitæ Solem, ex mortalitatis umbra, metire magnitudinē ALEXANDRI, & sub hoc Libitinæ nubilo, quod non infuscat, sed illustrat capaces gloriæ Spiritus, æternum virtutis diluculum, imò accensum meritorum meridiem intuere.

Erit tempus, post pâuculas aristas, quo Tu victoriarū sodes, & dimidium animæ ALEXANDRI, germanæ virtutis passu, supernum conscendens Capitolium, ingentes Ipsius Manes, æternùm virentibus Laureis redimitos, inter Arcuum triumphalium, trophæ-

orumq;

orumq; auguſtas moles, incedentem ſpectabis. Byzantinus, Tauricanus, Moſchoviticus, Triumphator, invictiſſimus SIGISMUNDUS III. Poloniarum Regnator, idem votum de Ipſo protulit; exploratum habens, fortibus viris, tum demum magnificentiores à ſuprema Majeſtate populoq; Cæleſti, decerni triũphos, dum in terris, tunc vincere, cùm vivere deſierint. Tranſcendere enim atrocis fati limina, ac inter prodigia ſtellantis Olympi locari, lege Heroica, non aliter Alcidæ licuit; niſi per denſas, edomitorum monſtrorum, exuvias, & agglomeratos cumulos trophæorũ. Quod ſi fraternos ſingultus, nec tantum immortalis gloriæ bonum, lenire poterit; addicti ſacræ militiæ Theoſophi, FRIDERICVS & SIGISMVNDVS, eâ quà deſuper dotati ſunt, ratiocinandi prudentiâ, & pondere rationum, quas Illis, melior ex ſua cortina ſuggeſſit Phæbus, juſto perſuadeant dolori, avulſo hoc vno SZEMBECIJ ROSARII Surculo, in ſe, & GABRIELE, STANISLAO, CHRISTOPHORO, PAVLO, & ALEXANDRO Burgrabio Cracovienſi, quorum indolem & fidem intemeratam, erga Sereniſſimas Majeſtates, Magni Reges, SIGISMVNDVS & VLADISLAVS, in præcipuis Aulæ officijs,

curandisq; Regalibus thesauris, âc proventibus, probavêre, deficere non posse.

Hactenus immortalis gloriæ stylus, Togatis Sagatisq; negotijs, expedita à Magnis Prædecessoribus Tuis, ad magnos honores evolvit præludia ô PRÆSVL! Hactenus Illi, inter varias temporum fortunæq; vices, domi subsidium, foris ornamentum præstando, ingentibus, per amplissima virtutum & meritorum stadia, cucurrerunt passibus; vt non vestigia tantùm, & lampada, sed bravium quoq; Posteris relinquerēt. Sive hostium sanguine rubuerint, sive candore consiliorum gemmaverint; sponte tamen vtrobiq; Candidati duntaxat esse voluerunt; ut Tribulibus, majores minoresq; Curules dignitatum, publicorumq; officiorum munera, perpetuô quodam Reipublicæ votô decernendâ, ominarentur.

Primus mihi cor animumq; occupat, in memoriam recurrit, & quasi obtutui se obijcit, vt pote, tot virtutibus post fata superstes, Illustrissimus & Magnificus Dominus, FRANCISCVS in Słupow SZEMBEK, Castellanus Camenecensis, PARENS Tuus, desideratissimus, Senator, non recordatione tantùm, sed imitatione dignissimus: Verùm neq; ego de ipso tantùm, quantum sua merita deposcunt

dicere

dicere possum, neq; Tu, ô PRÆSVL! tanto bono orbatus, ad innovandum, in festo honoris Tui, in die lætitiæ cordis Tui, infandum dolorem lubens audire. Porrò cum tanti Civis Senatorisq; genium, virtutes, merita, actionesq;, ab heroico illo animo, secundùm Moralis, Civilisq; prudentiæ regulas ordinatas, jam dudum altiori mente volutem, citra emphaticos oratorum spiritus, citra omnem perorandi licentiam, quâ sæpè tenuissima, in immensum extenduntur; vota duntaxat ingemino: vtinam plures, tàm integri, tam omnium virtutum participes, Poloniæ Senatores, Civesq; nascerentur! res integra foret, sacer ille communis boni amor, quo nihil Reipublicæ salubrius, nihil sanctius, nihil carius, aureum Ordinum vinculum concordia, plures quàm Romæ ædes ac delubra sortirētur. Quid enim iste Cato non eximium, non laudabile gessit? Exoticos lustravit soles, non quia Poloniæ polus, non habet proprium Phœbum, quo sui indigenæ incalescāt; & quo Ipse in Jagellonico optimè fuerat excoctus Helicone; sed quia bono Civi, Consiliario, & Senatori, apprimè necessaria est, multarū rerum cognitio; Regnorum ac Rerum publicarū Status, leges, cōsuetudines, non primis (vt aiunt) labris degustandæ: vt peregrinando talibus instru-

ctus, optimi Patricij animus, finè calliditate calleat, quid cum domesticis, quid cum exoticis tractare, quid vtrisq; respondere teneatur.

Redux ab exteris, opibus ingenij, quas in vmbris Lyceorum congesserat, opulentus, eas in publica luce, in vsus communes, in tutelam Augustæ Virginis, Libertatis, erogabat. Ab hoc Feciali, ad publica Regni toties ordinato Comitia, nihil audire licuit; nisi quod vellet illud, etiam cum discrimine vitæ ac fortunarum, charissimæ Matri Patriæ præstare; quod olim Romæ Tullius aut optavit, aut præstitit. Ruisse olim Causas etiam sub Cecropia Themide, justumq; Aristidem, exilio mulctari, aut Socratem damnari ad cicutam, produnt veterum monumenta; justior in Areopago Polono SZEMBECIVS, tam firmâ dexterâ lancem iustitiæ tenuit; vt neutram in partem, Doricæ Musæ libraretur pondere: Flexanimis esse noluit; nisi quò lex æquitasq; inclinabant. Nulla alijs familiarior Toga, quã candida; hanc nunquam deponentes, per Curiata Centuriataq; Comitia, potentiâ & multitudine amicorum fulti, currere, miro & efficaci studio, singulos prehensare, obviasq; manus dare, salutare, & omnibus arridere, Suffragatores, Duces atq; Assertores, qui alijs compe-

competitoribus invidiam, ſibiq́; ſtudia hominum favoremq; conciliare poſſint, quærere aſſolent: Hoc tamen infandum Cacoethes, faſcinus non bene ſibi conſciæ mentis, livoris, odiorumq́ ſeminarium, licèt nunquam Regiam modeſtiæ, ac verecundiæ animum Dulciſſimi Genitoris Tui, invaſerit, ô PRÆSUL! illa tamen Encyclopœdia virtutum, ille maſculus, ad ardua Reipublicæ rite peragenda negotia, gerendaq; publica officia vigor, illud infractum in eventu vtriuſq́; fortunæ, robur, & haud molles in perferendis pro communi laboribus artus, illud capaciſſimum ſervandi arcana, depromendi conſilia, conſulta ſtatutaq́; exequendi pectus, æſtimatores ſuos, non quærendo, invenêre. Præfectura Becenſis, vltroneo favore deſuper collata, altioribus, præluſit honoribus; non vt Magiſtratûs auſpicijs, virum monſtrâſſet, cuius mentis integerrimæ nitidiſſima cryſtallus, iam omnibus abundè tranſparebat; verùm vt Submontanæ Aſtrææ ſolium, ſub Iudice tanto, cuius animi celſitudo contermina cælo fuerat, ſanctiora daturũ edicta, in editiorem quaſi, Iuſtitiæ collem ſurrexiſſet. Te verò Stator rerum Polonarum, Tauricæ Terror, Fulmen Orientis, triumphatorum Triumphator, Maxime olim

Regum JOANNES III. pro immortalibus in totam Chriſtianitatem meritis, in ſinu Gratiarum, in ſolio Gloriæ collocatum, æternis Superi decorent Triumphis, & mille coronent Laureis; qui in Diſtributiva juſtitia Argus, opportunas & neceſſarias bono publico æſtimatiſſimi Becenſis Gubernatoris virtutes, primò in Sanocenſem; ac deinde mox in Camenecenſem Curulem ſublimâſti. Quippe cùm ante Senatum Ille, vultûs majeſtate, Statûs peritiâ, rerum experientiâ, legum Divinarum, humanarumq; ſcientiâ, & obſervatione, in factis dictiſq; veritate, paſſionum ſtupenda moderatione, prudentia zelo promovendi boni publici, effigiem boni Senatoris domi foriſq; geſſerit in cuius pectore tanquam, in âureo ſcrinio, conſiliorum arcanorumq; inæſtimabiles gemmæ, non facilè in aprico ſcientiæ popularis, oſtentandæ ſecuriùs deponi & ſervari poterant? Talem certè ille Senatorem egit, qualem vetus ſapientia effigiavit: auctor nempe fuit ſententiarum Reipublicæ conducibilium, etiamſi parùm jucundæ auditu fuerint, & alijs in Concione adulationes relinquendo, contentus rebus vtilibus, increpans, admonens, caſtigans, non arrogantem inînſanamq;, ſed ſobriam libertatem proferens:

At mihi

At mihi quidem, hanc virtutum admirāti Coronam; vel vnica Pietas, velut gemma inæstimabilis, nitore insolito, everberat animi pupillam; quâ magnus Senator in Deum Divosq; effusissimus, planè seipsum excessit. Ingessit alto pectori tanti Mecænatis, hunc piæ Liberalitatis, & Magnificentiæ Genium, Orthodoxa, quam à Maioribus acceptam, ingentibus rectefactorum momentis, auxit & amplificavit, Religio, vt proscripto luxu, in Mystarum Collegia pauperum cætus, potissimùm Seraphicam Familiam, struendas ac ornandas Sanctorum Indigetum Ædes, totam pænè quam legum periti, alterum sanguinem vocant, profuderit substantiam.

Prostant visenda Posteritati tantæ pietatis & liberalitatis monumenta, Cracoviæ & Zielenicijs: Illic, Augustissima Cœlorũ Imperatrix DEIPARA VIRGO, hìc solio Virginis, assistens Virgo, Intelligentia terrestris, CASIMIRUS, suis Templis & Aris, magnificè ædificatis, debito cultu, respectivè coluntur, laudantur, honorantur. Sic Cœlestibus Lilijs, illigatus manipulus ROSARVM, auxit odorem suavitatis: Spinas jam amisisse, præ bonitate, & innocentiâ, Illas dixeris; dum taliter sui prodigæ, communes in vsus abierint.

Quo exemplo, velut quâdam censurâ, & rigidâ crisi, quomodo fastum seculi perstinxit, liceat attendere. Attollunt hodie quoq; ostenta sui luxûs, inanis gloriæ vento, temulenti, Nerones; extendunt aurata, in Palatijs laquearia; Cœlum in terra fingunt, Ioves fictiles; stillant opobalsama mensæ; sub thyrso ovat Bassareus; æther volucribus, Oceanus piscibus, sylvæ & tesqua feris, terra iumentis, orbata: at in Divorum Templis horridus vndiq; squallor, & semirutis stant mœnia tectis; ac egestate sordidâ pressi ne dicã oppressi sacri Flamines, flamine arundinum instar agitantur. Congeruntur à Pompeijs ingentes marmorum saxorumq; moles, vt surgant ad ludos insolentes, Amphitheatra, Circi, Septizonia, vanissima oculorum spectacula, voragini temporis vasta materies: at qui in publica gentium sese mutuis bellorum Cladibus, interimentium laniena, ad placanda Numina, templum Pacis cũ Vespasiano; vel Pantheõ cum Agrippa, magnificè ædificari iubeat procuretvè; paucos non Roma solùm, sed Orbis totus numeravit.

Suspexerat iam dudum, has præcelsas in Eo virtutes, emeritissima hoc in Regno nongentis & ampliùs seculorum lustris, ODROWASIORUM Prosapia; & quæ cum Christiana

Princi-

Principe DAMBROWKA, MIECISLAO Primo, & toti Poloniæ, Christum, Fidem, salutem, attulisse perhibetur: quæ post transmissos à se in Cœlum Accolas, inter sacros Orthodoxæ Lechiæ Indigetes & Patronos, grande Decus Columenq; rerum nostrarum, edidit ac educavit D. HYACINTHVM; Eadem SZEMBECIAM, auctura pietatem, Illustris Connubij felices accenderat tædas: felices inquam, ex quibus Vestalibus sanctiores Ignes, flammmæq; cælestes, super altaria veri Numinis ardent & lucent.

Verùm Paphiæ olim, non bellè sacratas, apud superstitiosam antiquitatem, rosas, quis in castiorem congestas fasciculum, Novæ Palladi, quia SOPHIÆ ODROWASIÆ, Illustrissimæ & Lectissimæ olim Nymphæ, ex qua sapientissimus, in communem vivendi auram, cum præclaro Fratrum Ternione, prodijsti Filius, ô PRÆSVL! quis (inquam) dicavit? Nonne Illustrissimus & Magnificus JOANNES ODROWAS PIENIAZEK, Palatinus Siradiensis, Avunculus Tuus? Ille nempe Palatinus, in cuius invicto pectore, Minerva & Bellona, ex æquo triumphant: Ille Palatinus, qui ore & calamo, Consum, arcu & SAGITTA, acinace & hastâ, Achillem, vtroq; asser-

torem libertatis Camillum, in exemplum Posteris, se præstitit: Ille Palatinus, qui Cosaticis, Othomanicis, Scythicis, Sveticis, Transylvanicis, Moschoviticis, bellis, quâdam coniuratione fatorum, vno seculo in Poloniam concentratis, adeo pugnandi pro aris focisq; Patrijs avidus, vincendi pervicax, vt pedē, non semel laureas adversi Martis calcantem, tunc impetu & violentiâ hostium pressus, amittere; quam eum in fugam vertere maluissent: Ille Palatinus, cuius tenacem, laudandi propositi animum, ab oraculis veritatis dicendæ in Senatu; à puniendis iuxta iuris & æqui præscriptum sceleribus, dum Arbitrū & Mareschallum ageret in Tribunali, nulla precum, nulla pretij, nulla respectuum vis, aut ratio Sanguinis, poterat dimovere.

Porrò ODROWASIÆ SAGITTÆ felicissimum impetum secutus WIELOPOLSCIANVS SONIPES, proximo sanè Cognationis Gradu, cum Illustrissimo olim & Magnifico JOANNE WIELOPOLSKI, Palatino Gracoviensi, intravit Avitæ Domûs Tuæ Atria, ô PRÆSVL! & is qui fortunam Regni vexit, feliciter cum Deposito virtutum inæstimabili, ad Castellanas Genitoris Tui dulcissimi Ædes, triumphales fixerat passus.

Ne verò

Ne verò adhuc quidpiam ad purpureâ ROSARVM SZEMBECIARVM deesse videretur decora; Polonicus Hermus & Pactolus SRZENIAVA, totis alveis, aureos meritorum fluctus, & gemmeos latices virtutum, in Illas devolvit. Abite iam candidis cum calathis & commētitia cerussa fabulosa Najadum Nomina! ex Flumine SRZENIAVIO, vtraq; venvstate speciosior, ad SZEMBECIVM Pæstũ, prodijt RVPNIOWSCIA Deiopæa, quæ incredibili mentis constantiâ, verecundia, prudentiâ penè masculâ, inter vanissimas seculi pompas, moderato cultu, assiduo orandi studio, profusis ad sublevandas indigentium ærumnas beneficijs, & omnium virtutum ornamentis, hunc nimirum solum mundum muliebrem, carò sibi constare enuntiàns, ac inde veteris nostriq; ævi Heroides, si non supergressa, certè paribus vestigijs assecuta, Dei ope singulari, tot in ROSETO hoc, Ecclesiæ, Patriæ, Familiæ, sibi, in coronamentum flosculos collegit & colligavit.

Verùm in hac floridissima ex vtraq; Heroide, magno Divinæ benedictionis documento, nexa Illustrium Fratrum Corona, principem mihi Locum hic occupas, Illustrissime & Magnifice Domine, PRÆCLAE STEPHA-

NE SZEMBEK, Castellane Woynicensis. At verò in celebrandis Heroum facinoribus, cùm summis etiam ingenijs, hæsitare vsitatum sit; & non vnum Maronem arma virosq; canentem, suus quandoq; deficiat Enthusiasmus; ego quoq; statim in limine, laudum Tuarum, tanquam Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram, hæreo; dùm tantis virtutum & meritorum Tuorum splendoribus; obscurentur Oratoria lumina, & cancellos periodicos, effugiat; ingentium operum amplitudo. Ex vtroq; olim Cæsar, grandem sibi Romæ texuit panegyrim, ipse sui Nominis præco; Tu quantùm sapientissimis Consilijs, & invictâ animi fortitudine emineas, totum Orbem Polonum habes Oratorem. Transactâ in literario Palladis Craciæ ludo, circa seria bonarum disciplinarum negotia, non cum ludicris & otiosis adolescentiâ, asperioribus Bellonæ studijs, victorem animum exercuisti, vt ex utroq; Campo Laureas triumphales legere didicisses. Magnum tandem JOANNEM ad Chotimense, & Viennense bella, quibus graviora vix vspiam suspexit Orbis, tanquam Ephestio suum Alexandrum secutus, laborum ac victoriarum particeps, factis immortalibus, fastos seculorum impleuisti.

Legerit

Legent posteri, quomodo vt occiduus fieret Oriens, vt Othomanica Cynthia, post ereptos tot gentium Regnorumq; splendores, superbo tumens Plenilunio, tandem funestissimo suo decresceret fato, ac memorandis ævo cladibus, ad tenebras damnaretur; etiam Tuis viribus & consilijs laboratum est: qvomodo exitiales sibi SZEMBECIAS ROSAS, obscænissimi agnoverint scarabei.

Post huiusmodi Castrenses, & Obsidionales, iam Te Civicis, amplissima Magnorum Procerum suffragia, haud precario favore, cumulant & redimiunt Coronis, vt pote bello & pace servare Cives enitentem. Quippe sive Tribunũ Plebis, in Generalibus Regni Comitijs, sive Prætorem in Tribunalibus egeris; Reipublicæ salutem tueri, securitatem providere, incrementa gloriæ & emolumentorũ ipsius promovere, innocentibus, sacra justitiæ Adyta pandere, sontibus, & omnia pro libidine sua tentantibus, minimè indulgere, à sacrosanctis Legum tabulis, æquitatisq; orbita, nec vnguem recedere, omnibus Te virum quadratum, & sine ruga, benignum, affabilem, sincerum, integrum, æquanimem præstare consvevisti. Quid cùm suffragantibus tot meritis, Patribus Conscriptis, Divino pæne Ma-

gni JOANNIS calculo adſcriptus fueris, ſententiamq́;, quam vel Colophon probaret, pro ſervanda Orthodoxa Religione, à Majoribus noſtris ſacroſanctè culta, pro immunitatibus Eccleſiaſticis, quibus violatis, fundamenta magnorum Imperiorum ſubruta ſunt; pro juribus æqualitatis, ſine abuſu conſervandis, pro Libertate deniq;, tot ſanguinis diluvijs comparata, vt pupilla oculi cuſtodienda, è Curuli, tuleris; nonne eorum omnium, quos æqvus Iupiter amavit, oculos, ora, vultus, animos, in Te convertiſti? nonne omnium amores complexus es?

Verùm mihi ad alia properanti, ille candor Fidei publicæ, à Te, Felicitatis Polonæ Inſtauratori, Pacis deſideratiſſimæ, cum Othomanica Porta, Auſpici & Statori, avulſarum Provinciarum Reſtitutori, poſſeſſarum Propugnatori, & Servatori, hoſtium Terrori Sereniſſimo ac Invictiſſimo AUGUS|TO II. Regi Poloniarum, Nato DUCI Saxoniæ & Electori, illâ diſſentientium animorum tempeſtate, & hactenus intaminatè ſervatus, Columnas ponit terminales. Multi diſcordias Civium, diſſidia & diſordinem Ordinum, & quemadmodum Cato ajebat; oppoſitiunculas, inter Magnates, ſi non ipſi ſeminare, certè ab alijs

ſemina-

ſeminatas & in perniciem Reipublicæ ſuccreſcentes, non impedire, imò lubenter tolerare, volupe habent; ut ſic ex communi infortunio, fortunam ſuam augeant. Cum Burrho Taciti, mærentes ſunt, ac laudantes, vtq; rarò fortâſſe verè, ſic parum vtiliter, ad præſens certamen reſpondent. Tiberianis artibus inſtructiſſimi, nunc verba plerumq; obſcura, ſuſpenſa, nunc eluctantia, nunc in ſpeciem faventium, aut vituperantium ac recuſantium compoſita ingeminant, orationemq;, juxta Comicum, intortam, amphibij, & Chamalæontis inſtar, omnium colorum capaces præter candidum, inveſtigabili ſimulatione, ceruſſatam, ignorantium auribus ingerunt. Apud huiuſmodi leves & inſtabiles Vertumnos, Plebeium & algâ vilius bonum cenſetur eſſe Fides, quâ nihil præſtantius, nihil pretioſius in pectoribus mortalium, aut reperiri, aut optari poteſt.

Atqui Tu Senator Illuſtriſſime, ex quo ſemel dignas Sceptro manus, quia triumphales, dignum aureo Diademate caput, quia galeâ preſſum, & præludentibus Laureis bellicis redimitum, dignos Lechico Paludamento, Invictiſſimi PRINCIPIS lacertos, vt pote loricâ & thorace attritos, in Campo Electorali cum maiori ampliſſimorum Ordinum parte

censuisti; ita excelsum Cœlorumq; æmulum, quia vniformem animum, vsq; ad capessenda Regni Insignia, auspicatissimam Inaugurationem, & conciliandas reliquorum Procerum mentes conservâsti. Cui igitur tutiùs committi debuerunt absente tunc Maiestate, Metropolis, exercitus, & Thesauri Regales, quàm Tibi? cuius dexteritas, constantia & intaminatæ fidei Sacramentum, tam manifestis explorata sunt documentis:

Atq; hîc, per ROSEAM SZEMBECIÆ gloriæ Hesperiam, non obstantibus quibusvis Aquilonum furijs, nullo non tempore, meritorum amænitate ridentem, spatianti Svadæ, & curiosiorem dextrâ lævâq; vibranti pupupillam, nova quædam in Sacro Vavelli monte exhibetur apparitio Michaelis. Verùm quid? resne? an ficta rei imago eludit obtutum? minimè: Olim, paulò minus ab Intelligentijs, diminuti mortales, hodie ipsismet pares, quando cœlestem in terris, Angelicam inter homines ducunt vitam. Hæc Divinæ gratiæ metamorphosis, mirabili virtutum artificio, in Te locum obtinet, Perillustris & Reverendissime Domine, MICHAEL SZEMBEK, Canonice Cracoviensis. Ebur mentis niueæ, sudum & perpetua animi malatia,

ROSE-

ROSEVS innocentiæ decor, medulla probatæ prudentiæ, Divinarum humanarumq; literarum, ſublimior notitia, vita Ariſtarchi virgulam non metuens, Te quodammodo ſupra humana evexerunt. Addit, grande tantis virtutibus momentum, ſacra Themidis ſtatera, quâ in ſummis Regni Areopagis, more Tui Tutelaris, tam felici libramine, in diſcutiendis cauſarum meritis, veritatem & ſeveritatem, clementiam & juſtitiam temperâſti; vt adæquatum pondus, ſine exceſſu aut defectu, habere viderentur.

Sequeris & certè aſſequeris, Paternæ, Germanæq; Virtutis excellentiam, Perilluſtris & Reverendiſſime Domine, ANTONI SZEMBEK, Canonice Cracovienſis, Vtriuſq; Iuris Doctor: Quid de Te Lechicis Athenis in quarum olim Lyceis eximius eras Theopompus, quid Romanæ Sapientiæ, Coronatrici Tuæ, dicere expediat? quàm quòd ſanctiori luxu, abſumptis Virtutum & ſcientiarum vnionibus, ingens Tui, publicis in Exedris, pretium comparaveris. Auſcultavimus aurei oris Suadam grandinantem gemmis, & irriguo depluentem facundiæ obryzo: Accepimus, pondera Canonicæ Civiliſq; veritatis; audivimus, calentem publico zelo, contra abuſiones ſe-

culi, contra animarum ſeductores, diraſq; Orthodoxæ integritatis Harpyas, contra ſceleratos legum prævaricatores, ANTONIJ Spiritum: Hæc tamen omnia modeſtiæ circino, & columbina ſimplicitate, vſq; ad prodigium, circumſcripta ſpectamus.

Ad tantas Virtutum, certè non Platonicàs Ideas efformatus, prodis in apricum gloriæ, Perilluſtris, & Reverendiſſime Domine, LVDOVICE SZEMBEK, Canonice Cracovienſis & Varmienſis, præcellens Ectypus Canonicæ perfectionis, imò vitæ Sacerdotalis, omnigenæq; probitatis amuſſis Collectam ſub vernaculo exoticoq; ſole, diuturno exercitio, artium ac ſcientiarum affluentiam, non profanis ſeculi, ſed ſacris Eccleſiæ Patriæq; uſibus, dicare decreviſti; ut ſic partem hereditatis Dominicæ, & inſcrutabilis Prouidentiæ immutabilem ſortem nactus, perfidæ, lubricæ, ac ima ſummis, permiſcentis fortunæ vices, in Petra Vauellana LVDOVICVS, eluſiſſes. Applaudet ſuæ felicitati Perauguſtus Coronarum Ternio, cui Tergemina SZEMBECIORVM ROSA, perenne germinat decus & præſidium; Cui unum avulſum, & Præſulei honoris Tiaris inſertum, pretioſiſſimum vnionem, tres aliæ teretes, non

mino-

minoris æstimationis gemmæ, æquo jure compensant.

Neq; verò succensebis, non ex loco ætatis Tuæ dignitatisq;, Te veneranti Suadæ, Illustrissime Domine JOANNES SZEMBEK Referendarie Regni, Becensis Gubernator; quippe, novit illa omnem locum virtuti sublimem esse, vt pote, quæ ipsa sibi Solium, ipsa Curulis est; imò novit ab ineunte ætate, grande judicij Tui senium, & in vere florentium annorum, feraciorem autumnum meritorum. Quàm prope serenissimis Regum Majestatibus assistere; quàm Illis cordi esse debueras; iam Apollo Iagellonicus, auguriumdepromebat: quia incredibili sedulitate, laudatissimâ, omnes planè disciplinâs ediscendi solertiâ, vultu verè masculo, gestu ad maiestatem composito, linguâ minimè procaci, sed eruditas duntaxat gnomas, quæ pondus animi, & ingenij sublime decus indicarent pronuntiante, eos quibus jam desuper cumularis, spirabas honores.

Hoc demum est, quod in Te suspexit & probavit omnium bonorum judicium; Te videlicet, quæsitam Germanicis, Gallicis, Italicis, peregrinationibus, rerum experientiam, virtutum ac scientiarum semina, in publicum

usum maturâsse. Hoc enim est ad utilitatẽ Reipublicæ sapere, cum doctrina trãsfertur ad vitam; nec sibi tantùm ac otiò, sed publicis negotijs applicatur. Panathenæa Palladis, non Eleusia Cereris sacra sunt; in publica sapientum facie celebrantur, Veneranda Tritoniæ Heroidis maiestas, si tantùm inter Atticas noctes, obscura delitescat, & refuga lucis maneat, informes & planè inutiles, bono publico, fovebit Erichteos. Macte animo Illustrissime Domine; Aprico natam indolem Tuam summasq; ingenij dotes, tot oraculis, nedum Patriæ commoda, sed etiam Divorum, potissimùm Augustissimæ Virginis DEIPARÆ, sine labe originali conceptæ, in publica Orbis Poloni facie, promoventes, iam à Serenissimo & Invictissimo AUGUSTO II. nouo honoris auspicio coronantur. Gravissimum Referendarij munus, supplicum libellorum examen, grandium negotia causarum, iussa & responsa Majestatis, partitio publicæ solicitudinis, cui obsecro, à Principe Optimo, Maximo, consultiùs committenda erant, quàm Tibi? quem infatigabilis conatus, assidua cura, circumspecta prudentia, salutiferum consilium, boni publici amor, in communes necessitates natum esse autumant.

Pandis

Claudis AgmenFraterni Ordinis Illuſtris & Magnifice Domine, FRANCISCE SZEMBEK, Capitanee Bochnenſis. Verùm aquilinus Genius Tuus, publicum ad Phœbum appricari ſuetus, animus in meditatione magnorum operum ſeipſo maior, pectus eruditum, congeſtâ multiformi in exteris ſapientiâ, non vnum Tripodem, reſponſa dare paratum, circumferens; æſtus ille amoris, pro Majeſtate Regis Regniq;, juge obſequium, fortunas, ſanguinem, & vitam litandi, novam Tibi Honorum portam reſerabunt.

Hactenus, in veſtibulo Templi Honoris, Celſiſſimo Nomini Tuo dicati, obverſari, Heroumq; Imagines non Apellis lineis, vel Zeuxis penicillô, ſed Virtutis Magiſtræ, vivis coloribus, ad perpetuam immortalis famæ, recordationem expreſſas, non tàm intueri, quàm ad exceſſum mentis mirari, licuit: Illuſtriſſime & Reverendiſſime PRÆSUL; nunc in Domum Domini ire, nunc penetralia ſacratiſſimæ Ædis; ad Te Pontificio in Solio viſendum, ingredi, conceſſum eſt. Nempe Tu mihi SZEMBECIÆ Apex adoreæ, Tu Corona operis, & grande Argumentum. In Te Torrẽtes illi virtutum, meritorum, Avitorum decorum, & quicunq; maiores minoreſve rivi

L gloriæ

gloriæ reperiri possunt, plenis alveis, velut in Oceanum decurrunt. Cæterùm vti subitâ luce circumfusi, in maxima videndi copia, propter excellens sensile, inopes videndi redduntur; ita mihi, inter tanta Virtutum Tuarum lumina, commorari volenti, caligare ingeniô, necessum esset, nisi sub vmbra modestiæ Tuæ, aliquantum lucis, quâ Phœbi instar, Horizontem nostrum illustrâsti, vtcunq; contractâ palpebrâ haurire, licuisset.

Porrò, magnorum consuetudine Oratorum, dum Purpuræ Tuæ splendores, à prima ætatis aurora speculari contendo; non auroram, sed Solem videre mihi videor: Nempe vt ille nescit per intervalla crescere, sed statim in ortu magnus est & lucidus; sic Tu ô PRÆSVL! in pueritia non puer, in adolescentia non adolescens, vtpote ante annos, gravis & constans, ac proinde Vir; derivationem à virtute, non ab ætate sortitus; ea pro ludo habuisti; quæ alijs, nimis seria viderentur. Favisse multum naturæ, loci genium illi contendunt; qui se Athenis, non in Perside, Scythia, aut Hyrcania natos, gratulati sunt: at Tibi maior inde felicitas, qui lucem aspexisti in ea Domo, quam Illustrissimus Parens Tuus, in Palæstrâ virtutis formaverat. Videre erat inibi,

in penetralibus caſtitatem, in menſa ſobrietatem, in victu frugalitatem, in vultu modeſtiam, in ſermone parcitatem, in cultu moderationem, in omnibus exquiſitam honeſtatis curam, & ſtupendam quandam in moribus harmoniam. Jn ea Domo Natus & educatus es; in qua quidquid Sybaritam olet, quidquid Adonidem ſapit, quidquid patenam Vitellij & antelucana convivia ſvadet, ſevera animadverſione prohibitum, ne dicam, proſcriptum erat. Hâc Tu in Æde probitatis, iam ſacerdotales, iam Pontificias virtutes, quarum ſeriem Os & Lingua DEI, Tarſenſe Vas Timotheo præſcripſit didiciſti.

Super tam ſtabili & ſolido, virtutum fundamento, Divinâ Palladis Iagellonicæ arte, facilè ſurrexit, Magnificum Sapientiæ Auguſtale; cuius omnē quidem, eamq; nobiliſſimam materiem, miniſtravit & diſpoſuit Ille; qui hodie quoq;, ſacros Divorum Tholos Cœlo tenus attollit; ſed Tua ſedulitas, & Heroicum in bono propoſitum, feliciùs conſummavit. Collectis omnis politioris Atticiſmi floribus, non ROSAS modo Tibi familiares, ſed totum loquebaris Hymettum, quem in illa innocentiſſima pubertate, variegatis virtutum coloribus ornatum circumferebas. Philoſophus

 morum

morum gravitate, in ipsa vitæ forma, Demonstrativum formabas argumentum. Prima tamen Tibi Sacræ Themidis cura; vt animum ad subsellia Tribunalium & Curules,præparares. Porrò cùm vetus sit, eruditarum mentium honor, ad aulas Principum invitari, vt exemplo & doctrinâ, in illo vitæ lubrico, errantibus præsint & prosint; eam & Tu, in Aula Serenissimi olim MICHAELIS Regis Poloniarum, quàm gloriosè absolvisti Provinciam, compertum est ijs, qui breves in hoc Principe optimo delitias, subitò Poloniæ ereptas, adhuc deplorare non cessant. Romæ tandem innotuisse debuerat, Tuæ Virtutis & Sapientiæ celsitudo, vt quæ Triumphatores olim coronavit, Te etiam qui dudum Tui ipsius Victor gloriosus extitisti, viridi lauro insigniret. Verùm ô quantis denuo, & quàm pertinacibus curis! quàm operoso conatu! ad motæ operibus justitiæ manus! Obambulabas, Romanas Curias, notabas Processum, consignabas stylum, auscultabas, summos & in primo cultu habitos Viros: quidquid arduum & insigne, quidquid altiori crisi & indagine dignum, circa Theosophiam & Canones, reperiri poterat, in Codicillos referebas.

Hæc arcano mentis inSacrario, consignata

& depo-

& deposita, vtriusq; sapientiæ cimelia, hæc, tot laboribus & experientijs limata, status Europei notitia, hæc, ex auscultatione magnorum Doctorum, comparata eruditio; quantum plausum meruerint; Divinior Astræa, in Fastigio Orbis terrarũ, præcelsum Doctoratûs Iuridici, Capiti Tuo non vnâ Pallade fæto, imponens Coronamentum, Testis esto. Tam magnifico virtutum & scientiarum, instructus apparatu, talẽ profectò in Patriam redux non ad apparentiam, sed re verâ, Doctoris, ac Sapientis Viri, gerebas vultum, qualem Cordubæ decus depingit Seneca: Nempe velut per nitidissimam crystallum, radius, sic per cancellos, faciei, oculorum, gestuumq; Tuorum, omnium obtutus incurrebat, claritudo illa ignis Enthei, qui in Te augustis gratiæ & naturæ splendoribus, collucebat. Prodebat se, animus intuens vera, peritus fugiendorum ac petendorum, non ex opinione, sed ex natura, pretia rebus imponens, toti se inferens mundo, & in eius actus, contemplationem suam mittens cogitationibus actionibusq; intentus, ex æquo magnus ac vehemens, asperis blandisq; pariter invictus, neutri se fortunæ submittens, supra omnia quæ contingunt acciduntq; eminens, pulcherrimus cum decore,

cum viribus sanus ac siccus, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem neq; attollant fortuita, nec deprimant. Talis in Te animi virtus, & verissima effigies, vbi sub aspectum, magnorum in Regno Antistitum venerit, confestim ad exemplum Cleri, & ornamentum Ecclesiæ, in aprico sacri Honoris, posita est.

Æternos sortiatur Fasces, SBASCIANA FASCIA, quæ Te, ex amore tantarũ virtutum, primùm Premisliensis Cathedralis Canonicatûs dignitate devinctum, Ecclesiæ desponsavit. Fulgeat, perenni ævo inter augustas, radiantis Poli imagines, & dulcissimum Trisagij occinat melos, TRZEBICIANUS Olor, qui Tibi Auspex & divinior Oscen, ad præcelsum in Vavello, CORONARUM extitit Ternionem. Ex hoc Sacro & Pingui monte DEI, tanquam Fons oraculorum Iuris limpidissimus, per vtriusq; subsellij Tribunalia manabas, eloquio dulci, judicio altissimo, sitientibus justitiam, gratissimam animi refectionem daturus: cuius illimes integritatis vndas, novo prodigio, nullum immundum animal ingredi, nullus tortuosus mille astutijs, fraudibusq; coluber contingere, nullum scelus, etiam specioso argenti limo, vel aureis mune-

rum ra-

rum ramentis turbare, âut validioris instantiæ aggeribus, in cursu justitiæ rapidissimo, detinere, vnquam potuit. Plurima Tuæ integritati & prudentiæ, in perplexioribus causis credita & commissa, tam opportunum remedium & finem, sortita sunt auspicatum; vt nec ipse Iupiter in consessu Deorum matutino, exactiùs consulere, citiùs difficultatum nodos extricare, arcana evolvere, multiplicem negotiorum varietatem discernere valuisset. Et certè, tam excellenti virtuti; augustius debebatur, honoris amphitheatrum; in quo activitatis Tuæ amplitudinem, explicare posses, ô PRÆSVL! sed providit illud, gemma Pontificum, Ocellus Prælatorum, Gratiarũ compendiũ, vnicum Trium Monarcharum CASIMIRI, MICHAELIS, JOANNIS, delicium, JOANNES MALACHOVIVS, Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ; qui non tam sanguinis, quàm virtutis Sympathiâ, Tibi planè invisceratus, aureo FASCIÆ suæ vinculo, quo selectissimas animas, devincire solitus, imò solicitus erat, Te etiam renitentem, ad partem Diœcesanæ solicitudinis alligavit. Sic conglutinata anima DAVID, animæ sui JONATÆ dulcissimi, Pastoritiæ Curæ, etiam ipsis Atlantibus formidandam molem, vni-

to robore feliciùs portavit; cùm Te Episcopum Dionisiensem, Suffraganeum, Vicarium in Spiritualibus, & Officialem Generalem Cracoviensem, ingenti animarum, ac totius Diœceseos bono, creari curaverit. In hoc præcelso munere eminenti, quem iam alium Orbis Christianus, dare poterat judicij calculum? nisi in Te rediviuos fieri, pientissimos, illius prisci ævi Pontifices, imò ipsius Divinissimi Tutelaris, invictum illum, & Seraphicis incendijs calentem Spiritum, feliciori metempsichosi in Te transmigrâsse. Appage Vatis Divini querelas; non esse, qui frangat parvulis panem; cum Tu omnem opem, & opes, opulētà vtriusq; pabuli provisione, ne dicam, sanctiori quadam prodigalitate, in asperioris fortunæ mancipia, profuderis. Equidem hanc sublimem meritorum celsitudinem, coronaverat, etiam Abbatialis Claræ Tumbæ Honor, & geminata Infula; verùm sublimiùs provehendū, Gloriæ Tuæ culmen, è Superùm planè suffragio, existimavit, Serenissimus & Invictissimus, AUGVSTVS II. Te ad Vladislaviensem, quam iam auspicato passu conscendis, promovendo, Cathedram. Nec morari potuit tanti Principis vota fidelia suprema in Orbe Christiano Maiestas, verè sui nominis Pon-

tifex

tifex Opt: Max: JNNOCENTIVS XII. cùm dudum, Tuas eximias virtutes, summis honoribus, coronandas, optaverit. Verùm quàm magna mihi portio, ingentium Tuorum excidit meritorum, ô PRÆSVL! sublimia Pontificatûs Tui decora, quibus augustus incedis, tantas pietati meæ, infuderunt cogitationes; vt in Tuæ venerationis officio, præ summa gaudiorum vbertate, attonitus hærere, Teq; sub ROSA, sed Tua, relinquere cogar. Vtinã verò mihi tot ora, tot linguæ suppeterent! quot renidente vere, exoriente Lucifero, *roscida pestano gaudent ROSARIA vultu*; certè ditiores, in Purpuram Tuam, eloquij solicitarem venas, nunc verò, magnitudine argumenti obrutus, exilis ingenij, contraho Vela mei; & immensitatem votorum, Laconicè claudo.

Conscende Magne PRÆSUL,
Roseo calle, Collem emeriti Honoris,
qui tot laborum, spinas calcâsti.
Pandit ostia, Tuis ornata Floribus Vladislaviensis Basilica;
Quia Tibi, non nisi apertis meritorum Ostijs ingredi, solenne est.
Imò Triumphalis Cæli Porta MARIA,
aperit almum Gratiarum sinum;
Pro Cujus honore, vnus ex Triarijs Heros, bella, bella gessisti.
Obvius Magnorum Prælatorum Senatus, victorẽ excipit,
quem tot benevolentiæ signis, devictum & devinctum effecisti.

N Et cùm

Et cùm Sacris Heroibus Ara, Arena sit;
duplicis Cacuminis Galeâ, Verticem cingente,
quasi geminâ cuspide, obstinatum in nostra vota Cælum expugna.
Tibi, Tuisq;.
Pastorale Pedum contra lupos Ovili infestos vibra;
Imò hac Clavâ Triumphali, Sacer Alcides,
monstra hæreseon compesce.
Gemmâ, aureo inserta Circulo,
vt Sacro, contra fascinum, invidiæ, vtere amuleto.
Pretiosum Pectoris munimen Crucem,
Fugiant partes adversæ.
Demum, Sacrarum Vestium, amplâ synthesi ornatus,
altiores Tiaras, & Vaticanas Purpuras præstolando,
Vive Immortalis:
Quod Tibi, Polonia, Cujavia, & Tua semper
Vniversitas Cracoviensis,
Votis fidelibus comprecantur.